ipse cum captivorum civium ingenti cohorte Constantinopolim ductus est; sed paullo post (1463) libertati restitutus[c]), anno 1482 sive Chii sive in Italia obiit.

Scripsit Leonardus:

1. Sermonem quendam, „dum esset lector Januensis conventus praedicatorum“, ineditum.

2. Tractatum apologeticum (de vera nobilitate) adversus Carolum Poggium Florentinum Eugenii IV secretarium, editum cum vita eiusdem a Michaele Justiniano. Incipit: „Cum coram praestanti viro Luchino Galuxio (leg. Gateluxio) mihi admodum amantissimo“ et in calce dicitur „ab archipontifice Lesbi Leonardo editus MCCCXLVI, XXVII decembr. a Mytilena“. Itaque eum non semper Constantinopoli mansisse, sed etiam, priusquam concordia ecclesiastica restituta fuerit, Mytilenae commoratum esse, pro certo habemus.

3. „Relationem fusissimam excidii Constantinopoleos urbis ad Nicolaum V summum pontificem“, cuius iam supra mentionem fecimus.

4. Denique epistolam, quae sequitur, de Lesbo a Turcis capta Pio papae II — non, ut in margine alia manu scriptum legitur Nicolao V. iam ante septem annos mortuo — missam. Quae hucusque et inedita et quasi incognita, si, quae de eadem aliis locis breviter indicavi, excipias, codice bibliothecae universitatis Ticinensis N. CXXX (chartaceo, saeculi XV exeuntis, fol. 28 seq.) continetur. Summi vero pretii hanc esse epistolam credo, quum praeter Ducam, ultimi Lesbi principis Nicolai (1458—1462) secretarium, neque Byzantinus, neque Latinus scriptor de insulae excidio paullo accuratius vel copiosius disseruerit. Praeterea textum Ducae graecum in fine mutilum et versione italica supplendum esse constat, quo unico fonte usi sunt, qui ante nos res Lesbiacas quales medio aevo fuerint, illustrare tentavere, de Koehne (Mémoires de la société d'archéologie et de numismatique. Tom. III. St. Pétersbourg. 1849. 8. p. 475 seq.; Tom. IV. 1850. p. 110 seq.), Jul. Friedlaender (Pinder und Friedländer, Beiträge zur ältern Münzkunde. Bd. I.

c) Flam. Cornelii Ecclesiae Venetae. Dec. IX et X. Venetiis. 1749. 4. doc. p. 96—98.

Berlin. 1851. 8. p. 26 seq.), Eust. Georgiades (*Τὰ Λεσβιακά.* Athenis. 1849. 8.), Staur. Anagnostes (*Ἡ Λεσβιάς.* Smyrnae. 1850. 8.), G. Aristides (*Περὶ τῆς κατὰ τὸν μεσαιῶνα καταστάσεως τῆς Λέσβου* in ephemeride Pandora. Vol. XIII. n. 299. Athenis. 1862. 4.), Boutan (Archives des missions scientifiques. Tom. V. Paris. 1856. 8. p. 273 seq.), Finlay (History of Greece under othoman and venetian dominion. Edinburgh and London. 1856. 8. p. 70 seq., 358), alii.

Gatelusiorum, insulae ab anno 1355—1462 imperantium, historiam mox alio loco (in Erschii et Gruberi Encyclopaedia) ex fontibus hucusque ineditis tabulariorum Januensium, Veneti, Melitensis, aliorum illustraturus, hoc loco solum moneo, quinque eiusdem gentis dynastas Lesbum tenuisse: Franciscum, Dominici filium (ab anno 1355—1401), Jacobum (1401—1427), cuius frater Luchinus in Leonardi tractatu apologetico commemoratur, Dorinum I. (1427—1455), Dominicum (1455—1458) et Nicolaum II fratricidam (1458—1462); Aeno vero et Thraciae insulis praefuisse Nicolaum I., Francisci fratrem (1380—1409), Palamedem (1409—1455) et Dorinum II (1455—1462), qui in testamento Januae die 3 decembris 1488 scripto Auriarum (Doria) gentem agnatam haeredem insularum et urbium perditarum „Enei, Samotraciae, Miteleni, Foliarum veterum (Phocaeae) et Taxii" instituit[d]).

Gemebundum nuper ac illud lamentabile orsurus Mitilenense excidium vereor, pissime Patrum, ut quaemadmodum ab rei geste magnitudine oratio in presentiarum dictantis atteritur, ita ne a conatu quidem, cum vires ipse dicendi succumbant, hesitat namque in eiusce kalamitatis tractanda serie auctoris acumen dum atrox genus iacture stilus gestit evadere, quod nostris siquidem oculis piguit conspexisse, quod si ita gestum nostris utique flagitiis, pater sancte, aperte cernamus, ut omnem ferme orientem gentibus deus ipse subegerit multo cum interitu fidelium animarum et corporum quadam

d) Fogliazzo di Lorenzo Costa (Archivio notarile di Genova).

veluti macerie erecta cumulatorum, id maxime opem a nobis occiduam affuturam prestolantibus eo amplius egre ferendum censetur, quo vel sua pace heroum cunctorum fidelium dixerim, qui emissis dieta mantuana [1]) apocrissariis pleraque in Theucros sese facturos obtulerant vel ecclesie imputem ignavie militantis? Non tamen constantinopoleos urbem hoc ferme decennio deperditam iugum tunc subisse nationum ipsamque instaurary aliquando presumetur, sed et convicinarum insularum ac urbium, quibus Christi nomen personabat, fidem prorsus periisse orthodoxam et in dies cum ipsis simul urbibus decidisse. Et sic error succedebat errori, ac nondum redempto Bissancio totius utique vertice orientis, verum hostium immanitate pervigily reliqua membra labantur et ruant, donec ad sydera usque perveniant voces pro Christo interfectorum eiulantium dicentiumque: Quare non defendis sanguinem nostrum, Deus noster? Quis nanque sese a lacrimis continere aut siccis oculis urbis mitilenee casum poterit equidem recensere, videlicet edicto emisso regio post devictam triumphatamque urbem illico patriis sedibus derelictis cerneres christicolas pre conspectu certatim imperantis concurrere quosque electissimos puberes et futuros siquidem theucros abripi, virgines manibus patrum ereptas mox deflorandas abduci, lactantes matrum insuper subtractos uberibus gregum numero circiter quingentorum oves instar ab edibus segregari suorumque impulsione regis satellitum detrudi ac mancipari serralio? Nil idcirco tunc proderant genua usque provolutorum excusse parentum lacrime, non ulla ex hac disgressione genarum discerpcio, nulli in parentes dimissos natorum postergati respectus, quin metu verborum singultibus ingruentibus pro dolore quadam pene tusci prementi oscitare potiusque gemere mentiebantur. Mors nempe, que mortalibus acrior nec invocata assuevit inrepere, per totam sic eam diem flagitata meroreque consumptos nos exaudire contenserat magis ante ora patrum elligentes oppetere, quam mala gentis nostre oviumque dominicarum cladem inspicere. Quam igitur *ἁγιότατε* Pater, de dilaniatis ovibus mihi et quamquam immerito pastori hoc fere ante

1) anno 1458.

vicennium [2]) creditis rationem sim redditurus, cum ex incumbenti huiuscemodi pastoris officio non tantum eas a lupis absortas fas erat eruere, sed nec quidem earum optio lugendi dabatur interitum? Neque amplius immorari liceat, miserandam sortem casusque nostros toto orbe deflendos recensere succincte. Kalende tunc igitur Setembris superioris illuxerant cum illud mane equor carbasis repletum usquequaque prospeximus. Petunt in ipsa insula die prima portum veterem georgii sancti [3]) enumerata quinquedentis navibus machinis quippe refectis centum decem remata navigia, quorum triremes vigintiquatuor, reliqua varia fustarum genera galeatia e Sinope [4]) traducta unica. Ubi autem portum ipsum theucri aggressi sunt ac tranquilla iam classis statione potita Bassium ducem scilicet exercitus Mahuraeth [5]) numptii nostri adeunt causas in eiusmodi et insperati quidem requirentes insultus admirantes non mediocre tante novitatis adventum cum presertim iam per septennium septem millia florenorum aureorum venetorum annua imposita tributa persolverimus), nihil quod imperium eorum regis pertinet perperam atenptasse. Respondet his regem suum velle plene castrum Mitileneum et insulam, cuius nos responsioni minime asentientes ac protinus ipsi e navibus deruantes lictora captant Theucri atque ferro menia cingunt. Necdum hostia nostri repararii novissime constructi obserrare quivimus ut pene otius hostes emersi irruerent; bellum itaque utrimque accenditur perque hunc diem defluentibus saxis vel sic cessere inviti. Altera die [7]) pari modo hostes eo solo dimicaturi adveniunt, provocant nostros pariter commisceri, qui et a meniis sepius declinantes scaramutiando potius quam bellando invitatorie pugne conneptunt. Sed nostri tum ex consuetudine prodientes, tum sagiptas undique colle-

2) Cod. triennium.

3) Hagiasmation apud Ducam (ed. Bonn) pg. 346, 511.

4) Cod Esinopro.

5) legd. Mohammed; conf. Ducam pag. 511.

6) cf Ducam pg. 328, ubi 3000 florenorum Lesbiis, 2000 Lemniis 2000 domino Aeni et Imbri anno 1455 imposita esse legimus.

7) die 2 septembris.

cturi, tum pro more hostium pugnaturi ita se descensu dedere precipites, ut nequaquam ad nos regredi valentes capitibus truncatis bina humo thenus corpora remansere nostrorum, que presto hastis iniecta ipsi Basie duci cum iubilo afferuntur lictoribus dato munere pro virtute. Quarta [8]) et eundem die demonstrationis pugnatorum congeriem facientes mille pene viri ex nostris comperti sunt scuta gestantes et galeas e quibus bine rodiorum fuste cum septuaginta pugilibus ac reliqui centum decem e Chii [9]) contigua insula yspani [10]) propagine ad nostra pariter stipendia convenere. Enimvero hy circa murorum excubias noctu dieque strenuo decertabant hostium molimina impigre propulsantes, quos demum urbe multa cum patientia per medium sectos corpora canibus voranda relinquunt sicque agonis suy cursum feliciter in domino consumarunt celoque eos pro urna tegente. Statuuntur interea ab exteris bombarde eximie sex, quarum cunei septingentarum librarum pondus quilibet excedebat tres in saponaria a meniis per iactum distantes lapidis, altera in sancti Nicolai templo, altera enim in sancta Cali iuxta delinquentium patibulum, sexta in suburbiis ex adverso turris barbacane quam frater Andreas et quidem miles rodius cum septem complicibus protegebat, que per centum quinquaginta ictus turrim pannaie [11]) cum reliquis circumstantibus meniis conterebant, ut solothenus quidem propugnacula adequarent. Defixis igitur bumbardis indefexe iacentibus ac prepositis ante muralibus saxis honustis, ne ex oposito nostre possent uspiam ledere feriendo earum siquidem excussum, cimbalo iugiter admonente non tantum nostri meniis insistere, sed et furorem supervenientis cogebantur effugere catapulte. Ea vero que iuxta fanum sancti Nicolai per vices triginta producta turrim portus per quendam galiegum Petrum de Laranda nomine olim medio punto extructam eathenus perfoderat, propugnaculis eminentioribus deie-

8) die 4 septembris.

9) Cod. Echy.

10) scil. Catalani. cf. Capmany Memorias sobre la marina de Barcelona. Madrid. 1779—1792. 4. Tom. II. appendix pg. 65.

11) scil. τῆς Παναγίας.

ctis quatinus qui ex nostris octo desuper se protegeret ausus esset nemo. Jam vero dies octavus [12]) evenerat, cum theucri ubi nullum ex depressione turris eiusmodi conspexere munimentum [13]) galee confestim cum una fusta hostium eidem turri appropinant, a cuius se nostri metu advertentes tutela supervenientes eam occupant insignia eorum coccinea desuper inferentes, nec propterea nostri sollicitiores rediti videbantur casum adepte turris parvipendere, que demum hostibus in arcem facta est, cuius obtentu emuli viriliores effecti sagiptis machinisque variis eam in partem procliviorem suburbii inferioris, scilicet castri menaludi omnem extendebant conatum, atque vimineis cratibus iuxta collapsa menia sic bailibus valla repleverant extenuata, quo facilius pervio aditu possent ipsi penetrare. Convenerant siquidem ter quaterque per prius extra et eo amplius theucri rati posse per murorum ingredi colluviem. Pars quoque irruentium hostium ipsum iam murum conscenderat, quodam regis aragonum superposito meniis erepto vexillo crepitantium saxorum turbine coacti sunt tertio eadem semita repedare. Erant insuper in ipso portu pleraque cum quadam galea nostra navigia et ne quidem ab hostibus tollerentur ipsi ponto dimersa, quorum superficies exuri maluimus eam habentes debiliorem partem suspectam ex turris prefate conquestu. Consolunt itidem castrum inferius melanudi consimili igne conflari, quam ab hostibus integre rei possessum, ne maxime in bustium verteretur arci eminentiori et castro, quod nostrorum existebat receptaculum latinorum. Neglecto demum per Luchinum Gateluxum, qui paulo ante prefectus fuerat in ipso castro inferiori [14]), consilio saniori, nam cum paucis facile sese in ipso castro inaniter se tueri iactabant, post diem V. [15]) hostium fere xx^{m} seriosius invalescentes vocibus tubisque ad celum usque intonantibus ipsum castrum quinto invadunt fugatisque nostris locustarum instar

12) die 8. septembris.

13) Cod. munim.

14) Palamedis, Aeni domini, filius nothus; cf. Ducam pag. 512; Laonicum Chalcocondylam (ed. Bonn); pag. 528.

15) die 13. septembris.

castrum idem personas cunctamque supellem triduo demoliuntur. Dum itaque se res haberent, ecce is primus Luchinus cum paucis anxius et anelans nudato ense aparuit affirmans que supervenerunt. Quo audito pene consternati defecimus nec nisi de urbe reddenda hostibus tractabatur. Erat insuper inter cetera nos obsidentium machinamenta bombarda quedam unica os in sublime gerens que nec hanybalis tempestate ad persas tunc procedentis consimilis visa est volium circiter VI cantariorum emittens in altum more trabuchi suoque excussu solum obnubilans [16]). Quam etsi procul ab hetere decidentem oculi possent facile inspicientium devitare, eo tamen quo tecta et mulierculas nonnullas domi oppresserat, ita pene incolis ex sui novitate et admirationem incusserat et terrorem, ut spretis sedibus potius elligerent circuire nullam armis dantes operam, sed veluti deliri evagantes per posticus igitur et celaria delitescentes, qui protectioni meniorum opem ferendi neglexerant, ad resarciendum murorum ruitorum apertureque colluviem opus erat argento homines redimere qui humum et saxa deferrent et ellaborantibus in reparis pretium prebere non mediocre. Neque propterea reparationis ullius nobis profuit argumentum, quin relictis protectionum studiis per quindecimam [17]) aflicti baccho sese immersere et cereri, quasi nulla foret hostium circum obsidio. Inerat verumtamen frumenti, vini, olei, casei, alimentorumque ceterorum tanta copia, quatinus per annum possemus obsidionem ipsam apte perferre, balistarum quoque ac defensionum varia genera, calcis fictilibus ollis recondite, olei insuper calefacti replete sartagines, virorum, ut prefertur bellatorum fere numero mille, sed vel dei iuditio in rebus gerendis, vel deducendis agminibus ita consul magnanimus duxque armorum gnarus defuit, ut postergato inferiori castro, quod iam paulo ante estiterat occupatum, cuncti metu extasique circumfuxi pugne iam aciem oborrerent. Iterato demum concilio binos nostre voluntatis conscios de paciscendo federe destinatur, quatinus personis saltem salvis et ere quod parum supererat, pro suis vasallis incolas acci-

16) cf. Ducam p. 248—249; Chalcocond. p. 356, 385, 411.
17) die 15. septembris.

pere dignaretur. At ubi nos supplices pro danda manu hostes percepere referunt ad eorum nos velle ditamen admittere, fit ideo a classici ducis cedula manu conscripta, iurat per eius ensem lumbis precinctum regisque sui verticem nil nostre inferre vite molestie pauloque post adest ianizarus regius pro here castri regi ipsi deducendo. Procedit illico Nicolaus Catelusius insule dudum totius dominus binis se comitantibus equitibus ad conspectum regis turcorum, offert demum adorato rege dulcis patrie proavorumque per centum et decem annos[18]) possessam urbem mitileni claves illacrimans sui utique tentorio residenti. Pergit illico potestas eorum subassis nomine constitutus cum duobus qui arcem prius reddi sibi facerent, demum urbis totius caperet possessionem, qua scilicet denique adepta impositis usquequaque excubiis ac regis eorum vexillis iniectis mox timpana fistulaeque cum buccinis perstrepunt atque mahometi nomen in excelsis effertur. Per eam igitur noctem bachanalia id est commessationes potationesque ubere celebrantur. Exurunt in inferiori castro tecta restantia, vina cohoperta libant atque ex ipsis pre iubilo pleraque diffudunt. Fit rumor interea de reliquis per insulam castris restantibus consignandis, pro quorum quidem assignatione firmiori acersito mitilensi notario cum exibitione contrasignorum proficiscitur iussu facturus, ad cuius adventum arces ipsius insule augerinos seu molivos, sancti theodori et herissos cum omnibus incolis acquiescunt. Quosdam in eis suspectos retrahunt, rusticum vulgus in ipsis castris relinquunt. Secunda igitur post urbis obtentum decursa die preconium vice regis edicitur, ne quis christicolarum venale quid porrigeret gentibus, sed cives quotquot urbem incolebant sub dictione capitis lares suos deserant atque coram principe annotande prodirent familie singulorum fidelium. Fitque ut XVII^a septembris prefati omnis christicolarum urbe relicta properaret familia perpaucis admodum in ea urbe neglectis, tribus notariis eorum nominatim descripta qua scilicet turma pretereunte fidelium cerneres tunc regem suo presertim aptos ritui iuniores veluti oves ab edis secretas

18) ab anno 1355—1462, per CVII annos.

deligere suoque mancipio[19]) clientibus perurgentibus mancipare. Describuntur nomina simul et cognomina singulorum ac sicuti oves occisionis numeratim nautis exibentur bisantium usque traiciende, quarum partem maritimis pre angustia veiculis deficientem priusquam corpora ponto extincta traderentur, destra precisa aure ex asignationis numero scriba nauticus eximebat. Ex his itaque captivis eductis solo patrio partem in sui servitutem redigit, partem dono classis primatibus prebuit, reliquos suis exercitibus divisit, qui iuxta littus eiusdem insule publice venumdati sunt. Ea igitur serie ex ipsa urbe et insula X^m eoque amplius anime fidelium abducuntur captive ad sedes dudum evacuati replendas bisantii, que quidem tunc classicis galearum naviumque traducte vehiculis XVI^a octubris superioris portum constantinopolitanum subivimus, pro maiorique parte eam urbem ex pere opposito latinorum nonnulli incolunt. Ceterum vel venditum vel dono datum genus captivum hospites et peregrini pro more detentorum circumfusi in merore atque suspiriis dies anxios preterimus, dominum hyesum iugiter obsecrantes, ut a tot malis ingruentibus et erumnis que nobis innovantur, dignetur eruere. Ubi premaxime nulla hactenus potuerunt humana nobis presidia suffragari. Eam, igitur, patrum sanctissime, quam de insule mitilenensis direptione et rudi siquidem stilo congestam seriem, ut melius potui curavi contexere eiusdem Sanctitatis creatura sancteque romane ecclesie membrum inutile in presentiarum auscultare dignare non tantum aurem lectori dignanter accomodans, sed pro more sue inclite miserationis pro sufficienter expressam admittere ab ipsius quamquam inparem longe studiis ceteris veniam expetens si que in medium effluxit barbaries, sensui sue detentionis consternato molestiis deputando, que cuncta gratiosius cum Reverendissimis Dominis comunicata cardinalibus solerterque ruminata dignemini non solum nunc nostre sorti compati miserande, qui variis obruimur angariis gentibus inservientes, sed reddita pace presertim italis una cum bracchio principum devotorum in hunc cerberum, qui pene totum absorbuit cetum fidelium tam strenue terra marique insurgere,

19) Cod. municipio.

quatenus animadversionem, quam sustinemus angustie eiusmodi ad tempus pro sarcinolis deprimendis nostrorum peccaminum permissu dei, non ad animarum totale exitium contigisse nobis fideles cuncti adiudicent, quin potius ad fidei cumulum nostre cessisse. Novimus equidem pro solita piissimi pastoris clementia pro ovibus suis non tantum defluentem substantiam, sed et personam Sanctit(at)is ipsius pro dominicis ovibus velle uultro exponere nostre fidei emulos impugnando, cum Joannem tuscum genere precessorem quidem Sanctitatis eiusdem iussu regis Theodorici quidem impulsum cum Boetio reliquisque apocrissariis has advenisse oras in cronicis ad Justinum christianissimum imperatorem legamus pro ecclesiis Arrianorum restituendis, totam gladio delendam ytaliam comminantis, ni fecisset, eumdem insuper imperatorem per tria obviam miliaria cum toto clero processionaliter in adventu tanti pontificis prodiisse [20]). Sed cum illud poeticum eadem Sanctitas optime reminiscatur, nocuit differre paratis, omni igitur industria noxialis abigenda est dilatio atque huic divino operi exaltationique immaculate fidei quam totius adeo operam dare, ut gentium agnoscant populi nil gratis vel incassum tanto redemptori ac domino credidisse hyesu Christo nosque velle operari per fidem omnem mundialis sapientie fumum seu nequitiam etiam si nos contingat oppetere parvipendentes pro eius ylari ac demum celebri confessione, quem decet laus hymni et gloria in secula seculorum, amen.

20) Joannes papa I, Constantii filius, Etruscus, 523—526; cf. Acta Sanctorum. Tom. VI. Maii dies XXVII. p. 702 seq.